DE VILLICORUM DOMICILIORUM SALUBRITATE DISSERTATIO QUAM AD...

Pietro Zoppellari

Digitized by Google

DE
VILLICORUM DOMICILIORUM SALUBRITATE
DISSERTATIO

QUAM

Ad Medicinae Lauream

RITE ADIPISCENDAM

IN

CELEBERRIMO C. R. ARCHYGIMNASIO PATAVINO

PETRUS ZOPPELLARI

LENDINARIENSIS

PERLEGEBAT

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGDALENÆ . LOMBARDO - ZOPPELLARI .

IN · SOBOLE · RECTE · INSTITVENDA ·

SPECTATISSIMAE ·

IN · PROMOVENDIS · FAMILIAE · BONIS ·

VIRTVTE · PARTIS ·

INSIGNI ·

MENTE · VIRILI · CARITATE · MATERNA ·

IN · OMNES · ADMIRABILI ·

PETRVS .

FILIVS · NATV · MAJOR ·

PIETATE · IN · GENITRICEM ·

NVLLI · SECVNDVS ·

HVNC · PRIMVM ·

OPTIMAE · EDVCATIONIS · FRVCTVM ·

TANTAE · PARENTI · DEBITVM .

MEDICA . LAVREA · COHONESTATVS ·

D · D · D

Digitized by Google

Digitized by Google

Quamquam humeris impar, amplissimi Viri, Auditores ornatissimi, de aliqua re disserere et vestram tentare patientiam, pondus mihi videatur et extet; atque in tanta rerum copia, in tanta scientiae nostrae quaestionum congerie, quarum, dummodo ad aliquid utilitatis conversae sint, pertractationem plurimae quousque merentur, magis magisque arduum, argumentum seligere et erudito aut critico, uti decet, eloquio praeseferre; attamen vestra multis probata modis humanitate suffultus et veritate nixus, quod nisi quid practicam autumet utilitatem nostram vix non vanum et indecorum videri debet, ideam multis abhinc annis acceptam et vestra institutione mature evolutam exponere, quae ideo ad medico-politicam facultatem pertinet, ausus sum scilicet Villicorum domiciliorum salubritatem, praesertim quoad meam Policinensem Provinciam spectat, perpendere, et meliorem, quantum fieri potest, si deest, augurari.

Verum quidem forsitan quod et in civitatibus earumque suburbiis hujusmodi domiciliorum incolumitas desideratur, quoniam in quibusdam immundis vicis superbas aedes jamjam praegressas cogimur oblivisci. Atqui non haec mea mens, neque consilium. Propterea cogitanti mihi atque dijudicanti, quod Agricolarum brachia hominum consor-

Digitized by Google

520

tio magis utilia sunt, et quod ista terrae colendae desunt, eo quia aut infantium aut adolescentium sub ipsius vitae limine a nece exciduntur, propter indubiam causam insalubrium tabernarum aut magis ferarum quam hominum cubilium, intra quae meliorem suae existentiae curriculum degere damnantur; videtur Medici praesertim esse, non solum istorum nobis similium entium nostraeque utilitati tam prodeuntium miserrimam dignoscere conditionem, verum etiam eorum vivendi rationem inquirere, ipsi consulere, et omnimode ut melior reddatur curare. Quapropter ut mihi ingentem quae patefit ad evolvendam hygienem generalem, particularem oeconomiam, physicam hominis institutionem, specialem quoad loca pathogeniam, topographiam, clima, aliaque nostrae scientiae elementa, quae immediatam cum coetus de quo sermo habetur utilitate relationem habent, quaeque iis quibus vires ingeniumque contulerunt et conferunt linquo pertractanda, dicendi rationem contineam; lubet quae sumpsi circumscribere ad illum, quem exserit domicilium et exserere potest in hominis ad civilem societatem redacti salutem influxum, in coetus Agricolarum salutem circumscribere, demum et proprie in Agricolarum salutem meae Provinciae circumscribere Policinensis.

Opulenta tellus, quae barbaricis illis temporibus iners et aquis e montibus occasus atque ex altioribus regionibus in te veluti alienarum quarumque immunditierum sentinam obruentibus obducta jacebas, ut cum aggeribus regales fluvii, qui nunc confinia tua verentes osculantur, interclusi fuerint, thesaurus fieres fecuntitatis reconditus, quam extranei

Digitized by Google

adulantur et invident; ne conqueraris amplius, eo quod multa quae te colant brachia desiderantur et inter alias regiones incolarum tuorum heu! fera necatrix nominaris: nam tempus prope est cum inclitorum Magistratuum, qui te moderantur, gratia et providentia, exsiccatis paludibus quae te inquinant, quaeque domesticum pro tuo dedecore et jactura constituunt venenum, monopolistarum fies benevisa sedes et antiquorum cultorum deliciae!

Praeteritorum revera temporum alluviones ipsae fuerunt, propter quas inter Athesim et Eridanum exsurgens haec terrae planities hominum domicilia variis in promontoriis extructa, quae postea pagi atque urbes facta sunt, est consecuta; et sensim sensimque ab eodem solo, quod manuum opere egebat, evanescentibus inundationibus etiam inter paludes et prope valles profundas humanae domus et animalium domesticorum stabula inde visa sunt consurgentia, ad illud solummodo creationis ingenio converso, quod fructus e terra sudoribus defatigata abriperetur absque ulla forsan animadversione (vel propter temporum ignorantiam) ad illa loca, ubi melius vita ipsa hominum atque animalium floreret seligenda. Haec igitur miseranda originalis conditio plerorumque Agricolarum, qui per humilem Policinensem Agrum degentes cum vitae auris paludosa coguntur miasmata absorbere. Veruntamen de hujusmodi vivendi ratione, de morbis quibus vallicolae ut adficiantur necesse est, de subsidiis ad quae, ut magis quam fieri potest incolumes evadant, perfugium habere queunt, deque iis quae ab eorum providentia, qui civium facta moderantur, expectari possunt, hic loci disserere non intelligo neque

Digitized by Google

vires patiuntur: multi enim, summo ingenio ac plurima potestate praestantes, doctissimi viri et valde bene de humanitate aegra meriti hisce argumentis gavisi sunt, eorumque tentamina ad meliorem horum individuorum familiarumque sortem reddendam contendunt. Quorum maxima in eo effertur calamitas, quod nesciunt quid salus ipsa sit, quoniam neque in eorum antenatis, neque in coaetaneis, neque in semetipsis unquam et nullo eam cognovere modo. Atqui si huic maximae calamitati necessitas addenda veniat degendi hujusmodi vitam in domicilio propter situs, formae et aedificationis conditionem admodum insalubri, quidnam ipsorum relativae salutis exitium, et quaenam humanae naturae depradatio, usque ad illorum entium, quae cum homine qualis esse debet et qualem novimus anulum constituunt, gradum ut ita dicam abjectae, evincenda est? Vos inquite, praestantissimi viri, quibus inter vitae commoda et delicias primam lubet et summam vobis metipsis curam imponere, ut illa quae neque humillimis abnegantur neque brutis ipsis plerisque humanae existentiae elementa vestris aedibus omni ex latere, omni ex ambitu valdopere donentur. Hoc est aër, hoc est lux: res quae non veniunt, quasque pulcherrimo Italiae climati cum aliorum multifariorum conventu bonorum natura largita est, quaeque in apertis agris deliciose ita et salubriter spatiantur, dominantur, ut ipsarum urbium incolis quotannis laetitia fiant atque cupido.... Aër et lux sunt quae villicis domiciliis (qui crederet unquam?) sunt saepissime et non sine injuria desideranda!

Ne, humanissimi, dedignemini unum ex hisce

Digitized by Google

tuguriis mecum aliquantisper ingredi, et vestrum, si animus potis est, stuporem, cohibite. Hinc paleae uliginosae et putridae cumulum intrantibus, quem a fumo per multos hiatus aufugiente viventium refugium habendum ducimus, a solo externo decimetros aliquos descendendo cor Vobis terrore conficitur atque palpitat. Unius solum aut duorum cubiculorum frigido terreo caemento confectum, hic compresso et aequabili, illic foveis decliviisque referto ast ubique humiditate scatens et saepe limo. Parietes ex ligneis contextis aut etiam arundineis, illo terreo caemento obducti, quatuor arboreis columnis ad angulos ligati, totum exiguum uti queunt aedificium sustentant, atque a tempestatibus minime vehementibus donec stant tuentur. Pyramidali culmine obtruncato, iisdem paleis aut arundinibus implicito, spatium desuper circumscribitur, quod saepe ad hominis altitudinem planitiei fragmento dividitur, quo lectulus aliaeque pauperes supelletiles deferuntur. Parvum semper aut parva, parsimoniae causa illi parieti foramina inficiuntur, quae viam, aut praediolum, aut patentem respicit agrum, et tantum lucis difficulter penetrare sinunt, quanto istius humanae domunculae distributiones ad lumen egent: ingressus ipse aliquando pro fenestra habetur: aliquando ab hoc lumine lumen pro ambitu caeco reflectitur. Paucis frustulis, humentibus foliis, dumis viridibus herbisque recens collectis, paucis hiemalium diuturnarum noctium horis calefit totum tugurium et melius quod possint incolae vespertinos circulos corripere et super illum ex aristis et laceris linteis quem thorum appellant, conquiescere curant. Pullorum quaedam jugalia prope lectum, quaedam ad parietes co-

Digitized by Google

lumborum et in angulo aut pone latus casae victus edit sus. Ramosis denique patulisque juglandibus, salicibus populisque arte educatis, omni ex latere habitatio tegitur, ad ejus ruinam, uti putant, a borea vel aquilone molitam arcendam, atque ab extra aut argilla, aut macerie, aut etiam fimo pluribus stipatur decimetris ad fundamenta ejus tutanda.

Quantum Vobis sanitatis inesse videbitur in iis, quibus hocce domicilium incolere necesse est? Verum nonne moerore adficiemini, Vos, qui humanae studetis saluti, scitu illuc nobis similes homines commorari? Maximam quidem diei partem hinc procul in agrestibus operis agunt adulti et mares, sed noctis decursus, quae ad reficiendas ciet vires, necessariam nequit exhibere organismi virium restaurationem, quantocunque diei labore et improbo profundum ruant in somnum. Diebus autem pluviosis et interminabili hiemalium noctium tempore, mulieres praesertim, non cunctae (vel aestiva dumtaxat tempestate) operam agris navantes, et pueri nunquam matrum vestigia deserentes, ad hujusmodi sedem condemnantur.

Veruntamen pauxillo hisce feliciores ducendi sunt, queis villica domus obtingit lapidea. Etenim praeter parietes, qui humiditate ob externam inferiorem ex macerie aut argilla damnabilem crassationem scatent, sed qui per se magis magisque a tempestatibus incolas tuentur, universae istiusmodi domus iisdem fere quos supra de canneis censuimus, defectibus insigniuntur, videlicet pavimento depressiori externo, lapideorum stratorum raritudine, situ iniquam plagam versus, fenestris et januis capacitati cubiculorum imparibus, tabulato vix non

Digitized by Google

tegulis adhaerenti, saepium altiorum aut ingentium arborum circuitu ventilationem prohibente, et quod pejus est, in plerisque quibus stabula adnectuntur, cum iisdem stabulis communicatione atque nimia cum omnigenis sterquiliniis proximitate, aliisque.

De annuis vero aut accidentalibus utrarumque domorum restaurationibus quod attinet, pauci curant domini ad artis normam eas instituere, non inquam, sed neque ad normam humanitatis. Verum siquidem est, quod in primis et ante omnia eorum quibus incolatus datur, physicae institutionis pauca aut nulla scientia, hujusmodi insalubritatis est causa: atque herorum est absque dubio earum custodiam advigilare dum maximi pro iis venit salus aequa et robusta suorum operariorum. Praetereamus idcirco de illis domunculis sermonem, quarum domini incolae ipsi sunt, qui aut nesciunt aut ex mercedibus quod pro meliori domus eorum necessum est, parcere nequeunt. Ideo quantum mehercle! mihi esset de plerorumque villicorum ignorantia crassa, de stupida ignavia, de infanda indolentia plorandum! Veniam quidem merentur, dummodo cosmotelluricus quidam influxus internorum sensuum, et proprie illius per quem omnis homo ad sui melius trahitur, scilicet ad progressum, evolutionem impedit contenditque. Attamen quotidianum cum se divitioribus consortium, sapienter parcis, juste laboribus industriaeque indulgentibus, saepe etiam propter manifestum meliorem habitum a se invisis, nonne hoc consortium ad eorum doctrinam lectio semper patens, aemulationis ad voluntatem imperiose exercendam exemplar, atque ad parsimoniam solertiam ac sedulitatem veluti stimulus excipiendum?

Digitized by Google

S96

Oh! humanae mentis potentia quae venusino philosopho sui temporis fastum, magnitudinem et glorias mirato afflare pene divinitus *nihil mortalibus arduum* potuisti, quaeque et nos, nisi progressui injuriam sciremus inficere, mirari inventa cogeres obstupenda, virtutem et ausus plusquam humanos ingeniique opera mirabilia, quae hodiedum a quibusvis nationibus excultis ad aequanda non solum, sed etiam antiquitatis tam exaltatae monstra consternanda, erumpunt: oh! divina potentia, cur non et hujusce plebis, quae infelix oportet dici, ad honorem aetatis nostrae pectora adgrederis, mentemque ad illum virtutis gradum, cujus gratia intra suae conditionis limites aliae plebes huic exemplo esse merentur, cur non extollis? . . . Pace interim quod fiat illorum, qui a veritate non alieni hunc psychicarum virium characterem quo villici Policinenses donantur, maxime ab influxu terrestri non solum verum etiam climatico dependere contendunt.

Subjectam enimvero materiam excipiendo, propter spontaneum praefatum digressum crescit argumentum, cum illatione sponte pariter affluente, quod si psychicarum hominis facultatum evolutioni clima miasmate paludoso infectum vitaliter obsit, eo magis iisdem psychicis una cum physicis (quod nostro expedit eloquio) habitatio itidem insalubris nocere debet. Quoniam si externorum stimulorum complexus exclusive ad organicae vitae evolutionem, incrementum et conservationem fit necessarius, quis obstupescet aut neonatos ibi plerosque extremum in vitae limine obire diem, aut ex his paucos hoc fatum aufugientes, priusquam adolescentiam ineant, illi occurrere, aut juvenes in aegritudinibus factos

Digitized by Google

usque ad prima senectutis stadia labore ducere aetatem? Quis obstupescet ex statisticis nonnullarum illius provinciae communitatum collationibus, dum totum circa nos universum a lethalium epidemiarum, exterminantis belli famisque horrendae flagellis liberum floride augetur undique, incolarum imminutionem evinci? Quis obstupescet dum in illos agros colentes, aut per illas limosas vias, aut intra miseras illas tabernas in macilentos incidat aut male olentes, tumentes ventre, motibus distortos, actu languentes, prae doloribus querulos saepe saepius illos colonos, quibus incolarum frequentia magna ex parte constat et spes societatis atque illius fundamentum agriculturae? Plures ex illis agronomis consulantur: tertia circiter pinguium terrae fructuum pars ob villicorum inertiam et negligentiam amissa ploratur. Tabulae ad militiam inscriptionis consulantur, et seligendae juventutis inopia propter organismi vitia adnotabitur. Status denique sanitarius illius provinciae cum alius statu comparetur, quae territorii latitudinem atque habitatorum numerum referat, et facile aut in deterius, aut immutata progressio colligetur.

Neque unum hoc detrimentum, quod a vitae ratione defectuosa quam nostrales agricolae sub coeli climate non solum, sed etiam in squalentium ac tenebrosarum domuncularum atmosphaera agere debent, ad sui damnum et honestarum gentium cum quibus et inter quas vivunt, diducendum. Potissimum cordis affectus et temperamenti natura, quod est eorum moralitas, damnum patiuntur. Vitae enim commodis destituti et necessariis, neque ea acquirendi virtutibus et mediis se pollere certiores quotidie

Digitized by Google

535

facti, uni apto faciliqne studio, inter eorum conventus a malitia prolato ac in tenebris pene perpetuis eorum tuguriorum machinato, avide rapto deduntur. Sic est absque dubio, quod malitia montium habitatoribus plebs illa humilis antecellit, itaque funditus ejus artibus pollent ut expertissimos dominos vigilissimosque eludant. Neque mirandum quod haec adsertionem superius emissam de illorum agricolarum eximia ruditate inertia ac tarditate propositio minime oppugnat. Nam si malitia definienda est illa animi humani potentia, quae a malo praejudicio orta et ab aequivoca experientia aucta, hominem injurias timentem veritatumque inscium docet, semper et undique in variis cum ceteris praesertim se potioribus, relationibus quae sibi accidunt, cavere, ne in fraudibus aut damno incidat non solum, verum etiam ut alios potius dolo capiat; suadendum nobis facile erit quod in ea intellectus paupertate et crassa ignorantia cum pauca vitali vi et nobilium adfectuum quibus probi gloriantur exili evolutione conjunctis, maxima esse debet malitia, pro sui bono contra quanquam sese efferendi prona finctionis et calumniarum ope, sicuti opibus his fallentibus in mendacii impudentia, in defectionis abjectione et in ingrati animi infamia perfugium prona expiscandi. E generatione in generationem malitia haec pertransit et alitur, ignorantiaque fecunda vitiorum nutrix ejus germina fovet in perpetuum. Neque sancta religio in cujus visceribus nascuntur, ejus condita artificia atque iniqua consilia compescere valet, eo quia aut illam in caecam superstitionem convertere student, aut divitum inventum adpellari non erubescunt pro suorum bonorum privilegio. Nec bonum

Digitized by Google

nomen aut humanae justitiae timor, eo quia illud pura idea illis venit, et huic sciunt saepe brutales ausus opponere, nisi etiam illudere praeconcipiant. Fabula denique iis venit honestus mos, dum praevidentia carent ut vectigalia quotannis, quot mensibus et pene quotidie non desint (quod nesciunt aut nolunt), quaque morum regula socialisque vita fulcirentur.

Quamobrem plane elucet illas morales dotes tam a defectuosa morali institutione, quam ab inclinatione, qua physica aptitudo nititur, dependere. Lux pulcherrima, mundi anima, quam aliquoties nebuloso illi climati negat natura, sicut rusticis illis viventium tumulis fere semper denegat ars, nequit alacritatem infundere in physicis organismi functionibus, neque mentem ad positivas veri, justi et honesti conceptiones adaperire. Calor itidem qui cum vivificis illius radiis, aestivo vix tempore, immo tunc malefico fermentationum influxu, eos tumulos penetrat raro, aut levi artificiali flammula, majori incolatus tempore excuditur, nequit pectora ad sui proximorumque amorem calefacere: sed potius phlegmatico praedominanti temperamento frigidam ut ita dicam organisationem, laxa membra, sensus tardos, torpentem fibram, voluntatem protervam, totumque malum habitum tam materialem quam sentientem evolvi et crescere cernimus, cujus gratia vita ipsa fastiditur. Adde insuper athmosphaeram semper mephiticam tum propter nullam ventilationem, tum propter humiditatem perpetuam, tum propter immundities ex personarum spurcitie aut bestiarum contubernalium praesentia confertas: quae atmosphaera maleficis effluviis inquinata, hereditarius fit fons morborum, qui connaturales redduntur aut dys-

Digitized by Google

crasiaci, uti scorbutum, leucophlegmatiae, scrofulae, ulcera, catarrhi, ophthalmiae, obstructiones glandulares et splancnicae, imbecillitas, stupiditas et alii, qui valdopere corporis vim et robur imminuunt. Adde demum huic inquinamento, fluidorum imponderatorum defectum, quorum ope aër vere vitalis evadit, nempe elasticus et respirabilis, et tum quamnam malorum influxuum sobolem huic rusticandi rationi occurrere perpendetis, minime praetereuntes majorem, quoniam magis interest, epidemicorum morborum et contagionum capacitatem, et eorum diffusionis opportunitatem.

En vobis hominum coetus et fortuna in agro sparsim manentium Policinensi! et quantumcunque usque adhuc ad meliorem climaticam ejus agri conditionem reddendam actum sit, hodiernaeque ejus coetus physicam moralemque institutionem quoad usque respiciant leges; negare nemo poterit multum adhuc faciendum. Magis interea quaerendum cernimus, quod plura florenti agriculturae brachia desiderantur, et quae suppetunt pauca atque infida censentur. Cujusmodi calamitati illius provinciae publicistarum et oeconomistarum ingenio, haud vereor, aufugere non potuit aequum remedium objicere, si in manu hominis id esse posse putamus. Etenim opera quae ad soli beneficium stagnantium aquarum emissarios ductus in conficiendo quotidie fervent, ad id concitantur ut magis quam fieri potest solum ipsum arescat et atmosphaera quae superest paludosis exhalationibus liberetur, calorifica tempestate eminentius ad humanae salutis perniciem salientibus. Oh utinam indeficiens hoc opus et bonum! Minor tunc paludosae superficiei quantitas,

Digitized by Google

major colendae superficiei et frugiferae, brachiorum numerus major et salus ad illam tractandam foret! Quibus evidenter necessitatibus pars provinciae meridionalis et superior antecellit, sed non minus illa reliquae etiam partes domiciliari salubritatis egent elemento, propter quamquod unus mos, unum clima, una colonorum conditio, una fere omnium dominorum possidentium methodus dici potest.

Quomodo igitur et curnam quae gravis hujus momenti aequam moderetur conformitatem non adhuc legis adest systema? Quid nisi domini voluntas sive cupiditas domum erigendi locum decernit, absque nulla ad ejusdem salubritatis gradum majorem, quae haberi posset, consideratione? Quisnam ejus suadet formam, quae habitatorum saluti non minus quam eorum commodis consulat, relate etiam et semper ad erectionis sumptum? Quis vetat materibus uti quae salutem et aliquando vitam ipsam incolarum tueri non valent, manente pseudo-artificibus potestate artem propriam in illarum delectu et collocatione, in absurda partium instauratione, in foraminum necessariorum natura, forma et tegumento determinandis, aut egestae dominorum paupertati, aut simulatae avaritiae, aut conclamatae incuriae accommodandi? Quis hominum habitationum (nisi saltem in epidemia saeviente) sanitariam munditiem invigilat, aut quonam cum fructu a salutaris artis ministris per vana verba aut simplices longinquorum periculorum minas, aut etiam per admonitionum aut praeceptorum auctoritatem praedicatur? Quis jubet quasdam tabernas pro jumentis potius quam pro viduis, orphanis vel miseris familiis, inopia ac necessitate a tempestatibus tegumentum quae-

Digitized by Google

rere coactis, in fatali discrimine incolarum vitam sub ruina a laceris obliquisque parietibus minitantes, aut physicam psychicamque salutem, si ea gaudent, veluti in corrupto pestilentique sepulcro, dignum hospitium demoliri? Cuinam fas est harum gentium consortia intimius petere et potestatem non quidem hygienicam methodum corrigendi quae a physica eorum institutione et peculii viribus pendet, sed materialem mobilemque internae domus conditionem, exercere! Quis equini, aut bovini, aut ovilli aliusve stabuli erectionem interdicere potis est juxta domus colonicae murum aut in communicatione cum ipsa, vel destructionem existentium cum evidenti omnis sexus omnisque aetatis damno villicorum utentium mandare? Quis imperare potest villicarum habitationum dominis annuas primae necessitatis restaurationes, quae commoda, elegantiam luxumque supervacaneum non intelligunt, sed quae ad personalem a naturalibus causis multiplicibus nocivis incolumitatem defendunt, propter quod unice debitum conductionis pretium aut sudorum poena, aut suis temporibus pecunia solvere jam inquilini damnantur? Quanam denique ratione casarum incolae quamvis rudes adeo tamen utiles societati, et pene dixerim necessarii, coguntur humanae sortis privilegiis orbari et in tabernis illis saluti infensissimis vitam degere?

Ex quorum et similium quaesituum complexu eruere facile licet non inter impossibilia esse, meliorem ex hac parte colonorum nostrorum conditionem reddere, veluti primum aut pene primum eorum salutis physicae et majoris roboris elementum, quin servitutum jura et reciprocae proprietatis laedantur.

Digitized by Google

Quare, si inter tot administrationes, quas ad populi semper majorem felicitatem excellentissimum Gubernium sapientissime providet, administrativa lex adesset, quae systema adoptaret nullam etiam in ruribus pro humano domicilio domum aedificandi sine praesidis consessus licentia; si huic consessui, uti in civitatibus *Commissione d'Ornato* in ruribus nominando *Uffizio distrettuale delle private costruzioni*, sive *Ispettorato medico-matematico economico campestre*, sive *Uffizio d'Icognomia campestre*, sive alio meliori verbo chorographiam provinciae aut minoris circuli penitus edocto, ex lege facultas daretur concedendi aut negandi aedes quacunque ex materia novitus extructas aut appendices efformandi permissum, aut existentes humi prosternendi aut variandi, quae pro agronomia locali faciunt aut facere possunt; si huic comitatui incumberet agrestium habitationum atque etiam dominicalium ruri, bis aut semel in anno salubritatem invisere, cum potestate iis, ad quos pertinet, arborum umbra aut ventilatione sublata nocentium excisionem, fovearum usque ad terminum obturationem, elationem declivitatum, macerierum et sterquiliniorum abductionem, et alia hujusce generis etiam ex officio mandandi; incumberet insuper annuas dirigere atque invigilare colonicarum habitationum majoris momenti restaurationes aut discendentium sumptibus aut dominorum; denique si summa aedium cujuscunque privati, ruris, officii legalis exclusivae potestati et tutelae subjaceret, quod in seipso aedificandi artem et aedes sub sanitario respectu custodiendi amplecteretur; quod uno verbo architectonicam scientiam agronomico diverso usui adplican-

Digitized by Google

dam una cum sanitariis disciplinis quoad situm, plagam, formam, materiam, appendices, circumstantias, conservationem etc. praeseferret; tum profecto villicorum nostrorum salutis physicae redemptionem sperare auderemus, etiam invitorum (quamvis imperfecta adhuc sit climatis purificatio) quoniam primitivam et progressivam vitalem vim cum vagitibus absorbent, ubi adolescunt, alunt, et, ubi multum temporis a diurnis operibus parcunt, roborant faventque. Invitis inquam, non ipsis solum colonis, qui pro sua natura, ut supra dictum est, ad negativas aut absurdas civilis praxeos sententias proclives, aut incuriose aut cum novitatis adversatione bonum istud sibi exclusive adeptum cernerent, verum etiam et magis invitis dominis ac proprietariis, quos puderet se tali modo humanitatem eo quia debilem et abjectam male habendi tacite accusari. Ex quo manifeste patet, quod donec in privatorum potestate, sicuti adhuc mos est, hoc publicae sanitatis elementum relinquitur, magis magisque agricolarum vires et agriculturae fructus in deterius ruant, et quod legis tutelae et vigori hoc elementum esset profecto commendandum. Immo poenas istam delinquentium legem pecuniarias, communis Aerarii portiunculam constituendas fore, cujus ope domorum heri aut erigendarum ex novo aut corrigendarum suppeditarentur magis egeni et minus indigni, putandum erit.

Veniam quaeso, ornatissimi, si nimio argumenti fervore excitatus et melioris coactus amore, extra rem abiisse et alius mansionis terminos videar tetigisse. Veruntamen Vos me ipsi docuistis amplissime sanitatis publicae studium et medico-politicam

Digitized by Google

scientiam omnigenae fere scientiae consociari, cujusque artis ope indigere, et publica potestate niti, ut melioris civilis hominum consortii conditionis scopum consequatur.

Quin etiam ex hoc ipso novam vim humilis mea concio audet abripere, aliud scilicet augurandi remedium miseriae, qua coloni et operarii plerique in genere adficiuntur, quoad mercedum ac stipendiorum titulum, cujus gratia quo magis putant agricolae operam laboribus navare, eo minus mercede sese contentos inferunt, et quo magis domini largiusque solvunt sumptibus, eo minus agricolarum opere satisfiunt, ex quo semper discrimine eruitur interea subjectae classis extrema, infirmitatum seminarium, miseria. Hoc, inquam, esset submittendum remedium, quod possidentium, divitum aut non, *Agricultorum Comitatus*, ab illo *Commercii* diversus in provinciali urbe institueretur, qui, ut ille de agriculturae productorum exitibus, sic iste de relationibus, quae nunc inter operarios et dominos agrorum intersunt antagonisticae saepe et saepe contentiosae, quorum cooperatione illa agriculturae producta oriri debent atque proficere, approximandis atque emulcendis concerneret. Nonne aliquae sed frequentes dominorum vexatiunculae extant, quae legum rigorem aufugiunt et adversus quas nescit nisi silentium opponere operarius, atque sua vice et modo vindictam parare? Nonne aliquot et frequentes villicorum et operariorum extant defectus, adversus quos dominis in parvitate materiae non juvat legis impetrare judicium, et propter quos substantiarum jacturae dolorem addere ac sui vilipendium coguntur? Nonne ideo *provincialis* istiusmodi

Digitized by Google

.846

agronomicus Comitatus per suorum statutorum aequitatem a magistratibus consequi poterit, in omni communitate summarium veluti judicium locale, quod hos parvos sed magni momenti delinquentes legis vi immediate compesceret? Coloni sunt divitum possidentium robur et brachium: nisi hoc brachium obtemperans, aut physice sanum, aut proportionate robustum adsit, sterilis terra fit aut inoperosa, aut saltem suae, tam famigeratae, avara opulentiae.

Probent igitur aliquando cupiditas divitum et medicinae publicae studium deplorabilem domiciliarem conditionem illorum entium, tam utilium primis omnium necessitatibus totiusque nationis felicitati. Parcite ergo, humanissimi, si pro meae inauguralis (quod bonum, felix faustumque sit) dissertationis titulo salubritatem domiciliorum villicorum natalis sumpserim meae provinciae, eo quia propria experientia excitatus et notiones topicas fuerim edoctus. Eja interim, alii inde exsurgant validiores ingenio et sapientia, orantes causam eo magis aequam et utilem quo minus adhuc sub hoc respectu ne automata quidem est, pro illa non solum provincia, sed et pro tot aliis, quae iisdem in circumstantiis forsan versantur, et posteritati gratias habebunt, quae huic vero progressuum saeculo benedicet. Quod si extant, qui *poenitentiarii systematis* conditiones in melius revocare student, sicuti scientiarum cultorum italicorum diarium patavinum docet anni elapsi 1842, quod demum eorum respicit fata, quorum malae probatum aut imputatum vitae genus morale omnium bonorum pietatem, aut contemptum aut vituperationem mereri semper dignum vi-

Digitized by Google

sum est; non minus aequum et laudabile videtur eorum consilium, qui agricolarum ex opibus et salute vitam meliorem reddere conari non dedignantur, qui non odio aut probro, sed curis omnium nostrum, immo et grato animo remunerari merentur. Itaque non in civitatibus solum, ubi ingentia regalis munificentiae opera devotos animos et studiosa ingenia beare excellunt, verum etiam per agros modestae contentaeque gentes occurrent, quae glorias aetatis nostrae et quae eas fecundat pacis magis magisque exaltabunt.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDAE

I.

Optima prophylaxis contra morbos complurimos, agricolas nostros afficientes, in casarum ruralium restauratione et modificatione sita esset.

II.

Systema lymphatico-venosum primitus et eminenter a climate paludoso male adficitur.

III.

Nevroses nullo modo a morbis aliorum textuum, quoad essentiam et indolem, differunt.

IV.

Remotio partium quarundam cerebri, functionibus cerebralibus illaesis, Gall systemati non adversatur.

V.

Quum in plantis tum in animalibus, morbi simillimi, saepe repetuntur.

VI.

Aquae minerales artificiales, licet easdem proportiones partium activarum contineant, nunquam eadem virtute pollent, ac naturales.

VII.

In balneis, etiam mineralibus, major et magis perspicuus effectus a varia temperie exspectandus.

VIII.

Morbi absolute locales vel universales non dantur.

Digitized by Google